



1656.

1. Sturz, Christophorus : De protestationibus.

1657.

1. Grezel, Ernestus : De rescriptis memoratoris

2. Grezel, Ernestus : De mundanis

3. Heberer, Marcus Antonius : De decreto confirmatorio

4. Ludewig, Wilhelmus : De tempore legitimo

5. Peller, Christophorus : De diffidationibus.

1659.

1. Grezel, Ernestus : De impulsis ab Lipsanis imperii

2. Grezel, Ernestus : De censibus.

3. Lindner, David : De bellorum iustitia, quae a iudicio

meretur

1660.

1. Grezel, Ernestus : De lege Regis Romanorum.

2. Falekner, Conradus : De sententiis.

3. Felringer, Joh. Paul : De legibus.

4. Felringer, Johannes : De magistratu

1660.

5. Ludolphus, Johes : De poenis delictorum.
6. Holzschuhemus, Vitas Georgius : De jure monetarum
7. Ludwelles, Wilhelmus : Successio Lubecensium sive juris Lubecensis
cum civili et canonico collatio.
8. Ludwelles, Wilhelmus : De gradibus curaque usibus.
9. Packbussch, Christianus : De resernditionis pacto.

1661.

1. Grege, Ernestus : De jurisdictione forestali
2. Felringer, Johannes Paulus : De monarchia.
3. Felringer, Joh. Paul : De amnestia.
4. Geizer, Johannes Antonius : De posthumis coronis
institutione
5. Ludwelles, Wilhelmus : De servilibus prediorum
tam arborum tam rusticorum.
6. Roeder, Johannes : De cautelis.

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



166
 5. ...
 6. ...
 7. ...
 8. ...
 9. ...
 166
 1. ...
 2. ...
 3. ...
 4. ...
 5. ...
 6. ...
 7. ...
 8. ...
 9. ...





C. O. Wurf - ...
...
...



12873

JEHOVA JUVANTE
DISSERTATIONEM HANC

D E

TEMPORE LEGI-
TIMO

CIRCA

Primum Juris Objectum considerato

PRÆSIDE VIRO

*Magnifico Nobilissimo Amplissimo &
Consultissimo*

DN. WILHELMO LUDWELL
JCTO CELEBERRIMO ET ANTE-
CESSORE IN HAC ACADEMIA
PRIMARIO

*Serenissimi Principis Palatini & Reipubl.
Noricae Consiliario gravissimo*

Patrono ac Præceptore suo ætatem venerando

Publicæ Eruditorum Censuræ submittit

CHRISTIANUS Erndl.

DRESD.

Ad diem Mensis Junij

ALTDORPHI

A. O. R. M. DC LVIII

Stanno GEORGI HAGEN, Universitatis
Typographi.

2

81

1658

4



VIRIS

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis & Excellentissimis*

DN. GOTHOFREDO HEYMANNO,
JCto celeberrimo & Serenissimi Electoris
Saxoniae, atq; post excessum D. Imper. Ferdinandi
III. Augusti, Vicarii, Consiliario Aulico
longe meritissimo.

DN. NICOLAO RITTER SHUSIO,
JCto & in hac Universitate florentissima
Pand. P. P. celeberrimo, Amplissimae Faculta-
tis Juridicae p. t. Decano spectatissimo &
Reipubl. Noricae Consiliario
dignissimo.

DN. ISAACO LEIKHERO, JCto &
ejusdem Serenissimi Electoris Saxo-
niae & Vicarii Scabinatus, qui Lipsiae est Af-
fessori gravissimo.

*Dominis suis, Patronis, Promotoribus & re-
spective Praeceptoris & Agnato, sanctissimo pie-
tatis adfectu et atem prosequendis*

Exercitium hoc Academicum
consecrat
CHRISTIANUS Erndl
A. & R.



I. N. J.

Vid pretiosius tempore, sed quid perniciosius ejus consideratione? qui enim tempus considerant, id, quod considerant, considerando perdunt, quia aliena tunc agunt. Aliena autem agendo maxima pars Temporis inutile elabatur, Teste Senec. Epist. i. Quod mihi consideranti Tempus Legitimum facile scrupulum injicere potuit, nisi constaret hanc ab illorum contemplatione plane non tantum esse alienam, sed & Studiis meis convenientem & utilissimam. Quare absq; ambagibus tempus tractandum aggrediar & ea quae possunt, & ad Disputationis Modum sufficiunt, ponam.

T H E S I S I.

AB Etymologia capiendum aliàs initium, quæ rei præpositæ vim aperit eamq; non mediocriter illustrat. Sed cum hæc pueris etiam satis nota, inutile erit, de ea verba hic facere & multum laboris in ea ponere. Synonima Temporis Legitimi sunt: Tempus lege definitum l. 3. ff. d. Usurp. Statutum Tempus l. 1. ff. eod. l. 32. ff. d. servit. prad. Urb. & Constitutum Tempus l. 4. ff. profuo. l. 95. §. 3. ff. d. solut.

II. Definitionem ejus sic formamus: Quod sit spatium à lege, certo termino vel casu aut facto aliquo definitum, intra quod quid fieri aut existere debeat.

III. Dividitur 1. tempus vel dies in Civilem & Naturalem. Civilis est, qui à media nocte incipit & sequentis noctis media parte finitur l. 8. ff. de Feriis Rationem hujus computationis affert Plu-

archus in Rom. quest. c. 84. Quod in prima constitutione Reipubl. (quæ militaris fuit) consilia nocte capi solita. Quis vero Naturalis dies, Paulus indicat *in l. 2. §. 1. ff. d. V. S. Cujusq. diei.* inquit, *major pars est septem primarum horarum, non supremarum.* Hic unâ cum Horarum Usu in Reipubl. inventus 12. constat horis diurnis, quarum septem primæ diei, major illius pars censetur, utilitate præsertim & commoditate agendi & laborandi. Differunt igitur Dies Civilis & Naturalis. 1. quod illius Usus præcipuus esset in negotiis indifferentibus, hujus in negotiis tantum diurnis. 2. quod illius computatio civilis, hujus naturalis à momento sc. in momentum. *Vide de his Alciatum Brecheum Fornerum & Gædeum ad l. 2. ff. de V. S.*

IV. Secundo in Diurnum & Nocturnum *arg. Nov. 82. c. 3.* Hinc Imperator vetat in *d. Nov.* tempore nocturno judicari. Et Pontifex *c. 24. ext. de offic. Jud. deleg.* iudicium ecclesiasticum in tenebris exercere prohibet. Ad candelam tamē publicatam sententiam invalidam non esse, existimat *Glossa ad d. c. 24. lit. n. ibi vesperi.* Quâ in re cujusvis loci consuetudines attendendas puto. In Curia Provinciali Lipsiensi enim ad candelam sententias aliquoties publicatas esse constat.

V. Tertio. In Certum vel Incertum *arg. l. 12. ff. Qui & à quibus manum. Magnif. Dn. Pras. Exercit. Justin. 9. th. 6. lit. f.* Hoc iterum tripliciter dicitur. 1. An & quando sit existiturum. 2. An tantum. 3. Quando tantum, *Dn. D. Hornig. Junior Præceptor olim meus nunquam sine honoris præfatione appellandus in not. add. Exercit. Justin. 8. th. 2. lit. D.* Tempus autem simpliciter quando dicitur & plane est incertum, ad arbitrium Judicis est recurrendum *l. 1. §. ult. ff. de Iur. delib. arg. l. 13. ff. de test. Aug. Barb. loc. comm. lib. 18. c. 8. axiom. 28.* Hinc sine præfinito tempore in metallum dato decennii tempora præfinita esse explicat Imperator *in l. 23. ff. de Pœn.*

VI. Quartò dividitur Tempus (i.e. Dies Mensis & annus,) in continuum & Utile *l. 8. ff. de his qui not. inf. l. 55. ff. de Edilit. Edict. l. 1. §. 9. ff. de agnosc. & alend. lib. 1. §. 19. ff. Ut in possess. legat. l. 38. ff. de excus. l. 6. §. ult. ff. de his qua in fraud. cred. l. 1. ff. de divers. & tempor. præsc. l. 1. & 2. C. de Restit. milit. & l. 2. pr. ff. Quis ordo in bon. poss. serv.* Tempus vel dies continui sunt, qui se ordine naturali;

rali invicem sequuntur, (quales 365. continet annus) & tam sci-
entibus quam ignorantibus currunt de momento in momentum.
Dies utiles quibus experiundi sui Juris potestas est, & qui currunt
ab eo tempore, quo aliquis adipiscitur scientiam de Jure suo, aut
quo cessat impedimentum, propter quod jus suum exercere non
potuit *dd. ll. Dn. Contr. Rittersh. ad §. 16. Inst. d. Excus. Montan d.*
Jure Tutel. c. 35. Reg. 3. n. 2. Cuiac. 2. Obs. 18. Gothofr. in not. ad d. l.
1. ff. d. divers. & temp. presc. Et hi Jure Canonico quoq; currunt,
ei qui agere potest *c. dilectus. 28. extr. de V. S. nec juste impeditus est. c.*
commissa 35. de Elect. in 6to. Qui vero copiam Judicis habere non po-
test, ei non currunt, *c. plerunq. 23. extr. de rescript. c. Pastoralis. 11.*
extr. de Offic. Ordin. c. cum sic. 2. extr. d. eo qui. mitt. in posses.
Sunt & alii dies qui appellantur sessionum, opponunturq; con-
tinuis, differunt tamen ab Utilibus; nam sæpe fit, ut die sessionum
experiundi quis potestatem non habeat *Gothof. in not. d. l. & Cuiac.*
l. 2. Obs. 18. Et sunt quibus prætor vel Præses sedet pro tribunali,
quos Græci vocant *βῆμαλιχοι*; *Gothof. d. l.*

VII. Quintò venit utilissima divisio, quæ dividit tempus in
dies fastos & nefastos vel in dies festos & profestos. Hos Seneca
vocat dies rerum agendarum; *Ingenti* dicens, *apparatu sonant om-*
nia, tanquam quidquam intersit inter saturnalia & dies rerum agen-
darum. Epist. 18. Illos verò *Gellius l. 20. c. 1. Justitia.* Ferie sunt
dies feriati, quibus jus non dicitur, nec sui potestatem Magistratus
facit *l. 5. ff. de Feriis, Hinc Ovidius Fastor. l. 1.*

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur

Fastus erit per quem lege licebit agi.

Ferias iterum dividunt *Dd.* in Extraordinarias vel Repentinas, &
Ordinarias; & has in sacras & profanas *Bach. in not. ad Wes. w. d. feri-*
is. Plures verò divisiones feriarum qui desiderat, adeat *Wes. w. d. l. n. 3.*

VIII. Sunt & aliæ temporis divisiones, ut in dies religio-
sos, atros, & in annum magnum, de quo *Cic. lib. 2. de Natura Deor.*
& Polyd. Verg. de Rer. invent. l. 2. c. 4. Senec. d. Vit. beat. c. 25. Fest.
lib. 16. & similes, sed cum quædam huc non pertineant, & Juri
nostro incognitæ, nonnullæ vero, ut in diem religiosum quem &
Cicero quietum nominat (quo nec publicè nec privatim agere li-

uit ut pater ex Liv. lib. 6. duminquit: Tunc de diebus religiosis
agitari coeptum, diemq; ad XV. Calend. sextil. duplici clade insignem,
quo die ad Cremeram Fabii cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio Ur-
bis fœdè pugnatum: A posteriore clade Alliensem appellarunt, insi-
gnemq; rei nulli publicè privatimq; agenda fecerunt.) ad nefastos re-
ferri possint, eas lubens prætereo.

IX. Absolutis divisionibus, explicandi nunc sunt nonnulli
de Tempore Termini generales. Et primo quidem quid nomine
perpetui veniat? Olim perpetuum dicebatur quod nunquam lapsu
temporis expirabat, nunquam præscribebatur, Teste D. Conrad.
Rittersh. ad pr. d. Perpet. & temp. act. Sed hodie id dicitur per-
petuum, quod certis sed longioribus limitibus clauditur l. 1. ff. pro
soc. Et nonnunquam importat quantitatem temporis 30. anno-
rum pr. Inst. de Perpet. & temp. action. Aliquando quantitatem
majoris & minoris temporis, secundum qualitates subjectæ ma-
teriæ. Uade si famulo tuo dederis vestimentum ut perpetuo utatur
eo, intelligitur perpetuum quoad duraverit l. 25. ff. de pecul. &
Gloss. in eand. leg. Aliquando vero sumitur perpetuum i. e. sine
intervallo quia continuum l. 9. C. d. Impub. & aliis subst. Vide Port.
ad pr. Inst. d. Satisd. tut. n. 6.

X. Particula *semper* idem significat quod plerunq;. Sic
dicitur in l. 1. ff. sol. matrim. Dotium causam semper & ubiq;
præcipuam esse. Et in l. 9. ff. de R. 7. *Semper in obscuris quod mini-
mum sequimur.* i. e. plerunq;. Nam in legato ad pias causas fallit
hæc regula & tunc optimum in dubio videtur relictum. l. 38. §. f.
ff. d. aur. & arg. leg.

XI. Cum in Jure sapissime formula hæc: *Cedit dies*, obve-
niat; Non immerito quæritur, quid sit, cedere diem? Explicat
id Ulpianus, in l. 213. ff. d. V. S. dicens: *diem cedere* significat, in-
cipere deberi i. e. diem adesse, quo incipit obligatio, vel jus ad a-
liquem pertinet. Et cedere diem dicimus, subintellecto obliga-
tionis, sive juris, quasi dicatur, adesse Juris obligationisq; diem,
quo existit ipsa. Licet & *cedere* nonnunquam significet, consti-
tuere, ut in l. 18. ff. Com. præd. Item à Jure suo abire, & præstare
alteri, l. 27. §. 1. ff. d. Minor. non tamen sententiæ nostræ obstat,
sed

sed cum diei apponitur cessio, & quaritur, an natalis cui actio, vel res alicujus facta sit, semper, ut modo diximus, significat incipere deberi. Quod manifestius redditur ex eo, quod in d. l. 213. ff. d. V. S. sequitur; *Venire diem*, i. e. diem exitisse & adesse, quo pecunia peti possit, vel quo ex eo jure, vel de ea obligatione, actione certare, & iudicium suscipere liceat. Vide *Briff. d. V. S. lib. 3.* Hottomannus in *Lexic.* quidem, huic sententiae refragatur, & explicationem hanc explodit, nixus falsa opinione, existimans hæc verba: *diem cedere*, *diem venire* ad dierum ordinem & successionem, non vero ad Jus esse referenda, & diem cedere idem esse, ac diem abiisse, & diem venire, significare exactos esse dies. Sed erronea hæc est sententia, neq; l. 5. & 6. *totiq;* titulo: *Quando dies leg. nec §. 2. Inst. d. V. O. l. 59. l. 73. ff. eod.* aliisq; recto sensu & intellectu applicari potest. Vide *Gæd. ad d. l. 213. ff. d. V. S.*

XII. Exire diem dicimus, cujus agendi tempus præscriptum est, ut patet ex l. 23. §. 3. ff. *ex quib. cau. maj.* Hic subjungamus quid sit, *præferre diem*? Diem autem præferre, est diem anticipare, ut qui posterior est creditor prior esse videatur. l. 28. ff. *ad l. Cornel. de fals. & c.* vel si quis diem conscripti Testamenti mutet, & sic fidem illi detrahat. Hinc Ulpianus jubet in l. 1. §. 2. ff. *d. edend.* ut editiones sine die & consule fiant, ne quid excogitetur è die & consule; & prælato die fiat. Vide *Cujac. lib. 3. Obs. 7. Gothof. in not. ad d. l. 28.*

XIII. Modicum tempus, cum *Merill. l. 2. Obser. c. 16.* statuimus aliquando esse tempus 10. dierum l. 21. §. 1. ff. *de Confec. Eustach. d. Præscr. cap. d. Præscr. 10. dier. D. Augustin. lib. 11. Confes. c. 15.* Breve autem præteritum sicut putà dicimus ante decem dies & breve futurum post 10. dies. Aliquando vero, tempus 30. dierum l. 1. §. 2. ff. *de Itin. actiq;* priv. qui erant iusti dies iudicati faciendi ex l. 12. *Tabnl.*

XIV. Dierum voculam in induciis dies civiles indicare, docet *Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 16. n. 5.*

XV. De Computatione temporis, aliquid hic dicere non erit supervacuum: Distinguendū autē est inter Naturale & Civile.
Civile

Civile computamus de die ad diem, & diē inceptum pro completo habemus *l. 132. & 134. ff. d. V. S. l. 6. & 7. ff. de Usucap. l. 8. ff. de mun. & honor.* Naturale à momento ad momentum, nec dies inceptus pro completo habetur *l. 3. §. 3. ff. d. Minor. l. 6. ff. de O. & A. l. 3. ff. de fur. immun.* Computatio Civilis procedit in causis & rebus civilibus. In iis vero quæ solius facti & naturæ sunt, computatio naturalis *dd. ll. Vide Gœd. ad l. 2. ff. d. V. S. & l. 98. ff. eod.* Hanc naturalem temporis computationem in induciis quoq; locum habere fatetur *Grotius d. I. B. & P. lib. 3. c. 21. n. 4.* si sc. tempus, in iis certo termino, ut usq; ad Calend. Mart. est designatum; argumentum sumens ex Vaticinio Spurinæ Haruspicis (*quod extat. ap. Suet. in Cæs. c. 81.*) qui Cæsarem monuit, caveret periculum quod non ultra Martias Idus proferretur, & Cæsari irridenti & ut falsum arguenti, quod sine ulla noxa Idus adessent, respondit: Venisse quidem, sed non præteruisse.

XVI. Aliam distinctionem fovet Portius, distinguendo inter favorabilia & odiosa, inter Tempus à lege, & homine, & hoc iterum vel in Genitivo, Accusativo & Ablativo casu prolatum. Videri de hac distinctione potest dictus *Port. ad §. 4. Inst. ex quib. causis manum. n. 9. cum seqq.*

XVII. In Computatione Temporis occurrit dubium de die intercalari, cum is biduum constituat, an id biduum pro uno habeatur? quod affirmatur *ex l. 98. ff. d. V. S.* Hinc iterum quæritur an istud biduum inceptum pro completo habendum? Affirmat *d. l. 98. ff. d. V. S. negat l. 3. §. 3. ff. d. minor.* Sed distinctio in *th. 15. supr. posita*, hic adhibenda & *d. l. 98. de Computatione Civili, in causis civilibus. d. l. 3. §. 3. de computatione naturali, in causa naturali intelligenda*, in qua necesse est, etiam ultimum diei intercalaris momentum præteruisse *d. l. 3. l. 2. ff. de divers. & temp. præsc.* Quæ computatio in causis naturalibus etiam necessaria; nam cum annus 365. diebus & horis sex constet, ita ut illæ horæ quaternis annis diem conficiunt necessarium est, ut dies ille cum quatuor præcedentibus annis confundatur; cum sol non nisi completis sex istis horis a signum rediisse dici potest, *Teste Thom. Freytag. Physic. lib. 14. d. Theor. solis Macrob. lib. 1. saturn. c. 14. It. Gœd. ad d. l. 98. ff. de V. S.*

Hæc

XVIII. Hæc sunt quæ de Tempore in genere dicenda putavi. Nunc absq; ulterioribus ambagibus ad Tempus nostrum circa primum Juris objectum considerandum me accingam. Et cum summa Personarum divisio in liberos & servos l. 3. ff. d. stat. hom. pr. Inst. d. Jur. Pers. merito etiam de illis initium ducendum.

XIX. Et primò quidem de hac quæstione videndum, quo tempore mater libera esse debeat, ut partus ingenuus nascatur An conceptionis, an gestationis, an natiuitatis? Ad quam Imperator in pr. Inst. d. ingen. respondet autoritate Martiani: sufficere matrem ingenuam fuisse, vel conceptionis tempore tantùm, vel gestationis tantùm, vel natiuitatis tantùm. Ex hac ratione, quia calamitas matris nocere nō debet ei, qui in ventre est d. pr. Inst. d. Ingen. quo accommodari quoq; potest regula ex l. 7. & 28. ff. de stat. hom. qua traditur, quod is qui in Utero est habeatur pro jam nato, quoties agitur de ipsius commodo. Sed hoc tantùm modo obtinet in servitute Jure Civili introducta, si sc. mater se venundari passa pretii participandi causa §. 4. Inst. d. Jur. Pers. l. 5. §. 1. ff. de stat. hom. Nam si Jure Gentium serva esset, utpote bello capta d. §. 4. & l. 5. §. 1. satis constat, natum in eo statu filium, servum existere, quemadmodum in Servio Tullio usu venit, cujus mater Ocrisia, regii sanguinis mulier, capta bello à Tarquinio Romanorum Rege, in servitute peperit. Unde Servius nominatus est. Dn. Contr. Rittersh. & Hottom. ad pr. Inst. d. Ingen.

XX. Olim ex libertis geniti non nisi post quintam generationem, ingenui habiti sunt, ut docet Manutius. Quo jure tamen Romani non diu usi fuerunt, idq; Jctis plane fuit incognitum. D. Contr. Rittersh. ad pr. Inst. d. libert.

XXI. In servis cum nulla fere temporis legitimi habeatur ratio, progrediar ad manumissionem, quam olim Minores 20. annis celebrare in Testamento regulariter nō poterāt §. ult. Inst. quib. ex eaussis, & l. 1. ff. d. Manum. Hoc correxit Imperator & concessit ei, qui decimum septimum ætatis annum egressus 18. attigit d. §. ult. & D. Contr. Rittersh. ad eund. Quam correctionem extendit quoq; ad fœminas Portius dicens: sicut in maribus media via eligenda, sic quoq; in fœminis, & cum inter annum 12. quo tem-

B

po-

potest testamenta facere possunt §. 1. *Inst. quibus nō est permis fac. testam. l. 5. & 19. ff. & l. 4. C. eod.* & vigesimum, medium consistat in anno 16. completo, anno 16. ætatis testamento manumittere posse verum esse. *Port. ad d. §. ult.* Sed & hanc correctionem iterum vacare iussit Justinian. & puberibus, qui testamenta facere possunt, *d. l. 5. & 19.* in ultimis voluntatibus sine impedimento ætatis manumittendi liberam concessit facultatem. *in Nov. 119. c. 2.* Hinc est, quod Imperatorem, de inconstantia & mutabilitate arguit *Hottom. ad d. §. ult.*

XXII. Annis decem & septem major & is esse debet, qui manumittendus ut Procurator constitui possit, §. 5. & §. ult. *quib. ex caus. manum.* Cum ea ætate Procurator esse possit *d. §. ult. l. 1. §. 3. ff. d. Postuland. & l. 13. ff. d. manum. vind.* non obstante *l. 51. ff. d. Procur. D. Copr. Rittersh. Hottom. & Port. ad d. §. ult. Trentl. Vol. 1. D. 9. th. 5. lit. b.*

XXIII. Serva matrimonii causa manumissa intra 6. Menses, ut manumissio valida ducenda *d. §. 5. Inst. quib. ex causis manum. l. 13. ff. de manum. vind. & l. 21. ff. qui & à quib. manumis.* Omni autem tempore & quovis die, sive festo, sive profesto, manumissio fieri potest *l. 2. C. d. Feriis §. 2. Inst. de libert. Hottom. ad eand. §. & Montan. de Jur. Tutel. c. 15. n. 5. & 6.*

XXIV. Nunc transeamus ad modos quibus, Patria potestas constituitur, qui sunt Nuptiæ, Legitimatio, & Adoptio, *pr. Inst. d. Patr. potest. l. 3. ff. de his qui sui vel alien. §. fin. Inst. de nupt. l. 1. ff. de adopt.*

XXV. Primum igitur videndum de sponsalibus, cum nuptiis priora sint *l. 1. ff. de spons.* Est autem ætas vel tempus, tam in Masculis, quã fœminis unifornne (quod in nuptiis secus se habet, licet & ipsæ solo consensu contrahantur. *l. 30. ff. d. R. l. cum hic consensus ad alium tendat finem. Vide Port. ad pr. Inst. d. Nupt.*) Uterq; enim anno 7. completo sponsalia contrahere potest *l. 14. ff. de spons. c. literas. 4. c. accessit. 5. c. ad dissolvendam. 13. extr. de despons. impub.* Sunt tamen nonnulli, qui *in d. l. 14. ff. d. spons.* annum septimum exempli gratia tantum, non limitationis ergo appositum esse, & minorem septem annis, si modo intelligat, sponsalia contrahere posse, statuunt. Sed horum sententia non ferenda: Jura enim mi-

no

nones 7. annis intelligere quid faciunt, non præsumunt d. l. 14. *Vide & Macrob. lib. 1. in somnium Scip. c. 6. Eodemq; anno i. e. septimo plene absolvitur integritas loquendi; & Varron. lib. 5. d. ling. latin. Hunc Chrysippus negat loqui, sed ut loqui: quare, ut imago hominis non sit homo, sic in corveis cornicibus, pueris primitus incipientibus fari, verba non esse verba, quod non loquantur. Et quamvis quis inveniat, qui præcoci ejusmodi ingenio præditus, non tamē statim propter rarissimum exemplum à regula recedendum, sed juxta ejus definitionem istud quoq; diversæ rationis exemplum decidendum Nov. 94. c. 2. l. 3. 4. 5. 6. 8. & 10. ff. de legib. Magn. Dn. Pres. Exercit. Justin. 2. th. 3. lit. b. Montan. d. Jur. Tutel. c. 5. n. 53. Port. ad pr. Inst. d. nupt. n. 4. Harpr. eod. n. 8. cum seqq. An sponsalia dividi possint in sponsalia de præsentis & futuro controversum. Multi sunt, qui affirmant, inter quos & Wesenb. *de spons. n. 4.* confundentes Jus canonicum cum Civili. Nam Jure Canonico sic dividi posse sponsalia, patet ex c. sicut. 22. & c. penult. extr. de spons. Jure autem Civili hoc posse omnino negandum, propter definitionem Florentini l. 1. ff. de spons. Sponsalia sunt mentio & promissio nuptiarum futurarum, quæ satis arguit, Divisionem hanc inanem esse. Sponsalia enim omnia sunt de Futuro, unde & spes matrimonii, dicuntur l. 13. §. 3. ff. ad l. Jul. de adult. & differt Sponsa ab uxore quod hæc de præsentis, illa semper de futuro arg. d. l. 1. & l. 13. §. 3. sponsaliaq; in uno momento cum nuptiis concurrere non possunt, sed hæc illa post aliquod tempus subsequuntur, iisque posteriores sunt. D. Contr. Rittersh. & Harpr. ad pr. Inst. de nupt. Trentl. vol. 2. Disp. 6. th. 1. lit. C. D. Echold. Preceptor olim meus etatem colendus ad Wesenb. *de nupr. num. 3.**

XXVI. De Tempore inter Sponsalia & Nuptias Jure nihil certi constitutum est; Nostris moribus post trinam vel binam à Præbytero in Ecclesia proclamationem celebrantur, quæ proclamatio & tempore Tertulliani in usu fuit. Teste Dn. Contr. Rittersh. & Trentl. d. l.

XXVII. Sponsaliorum materiam sequuntur nuptiæ, quarum incapaces sunt minores 14. & 12. annis completis pr. Inst. de nupt. l. 4. ff. de rit. nupt. In his enim tempus pubertatis consistit. pr. Inst. Quib. mod. Tut. fin. l. 5. ff. qui testam. fac. poss. l. 2. ff. de Vulg.

& pupill. subst. l. ult. C. quand. Tutor vel cur. esse desin. l. 4. C. qui Testam. facer. poss. Tertul. de Veland. Virg. Ulp. lib. sing. reg. tit. 2. Paul. lib. 3. sentent. tit. de Testam. Macrobi. lib. 7. saturn. c. 7. Fit & mentio pubertatis plenæ quæ in masculis anno 18. in foeminis 14. finitur §. 4. Inst. d. Adopt. l. 40. §. 1. ff. eod. l. 14. §. 1. ff. de alim. vel cib. leg. Sed ea hujus loci non est.

XXVIII. Possunt itaq; tantùm puberes, vel qui egressi annum 14. & 12. nuptias Jure Civili contrahere, cum hoc jus ex annis, non ex gignendi potestate, tempus pubertatis constituat *dd. ll. Magn. Dn. Praeses Exerc. Justin. 2. th. 3. lit. b. Harpr. ad pr. Inst. de nupt. n. 9.* Secus est Jure Canonico, quo malitia ætatem supplet c. 3. & 9. extr. d. despons. impub. Nec obstat quod jure Civili, ut supra diximus, sponsalia impuberes contrahere possint; Ratio enim diversitatis est, quod sponsalia, si contrahentes puberes facti ea dirimi postulaverint, resolvi possint, remisso nuncio *arg. l. 6. & 10. ff. de spons.* Quod secus est in matrimoniis. *Vide Montan. de Jur. Tutel. c. 5. n. 63.*

XXIX. Erat olim & aliud tempus, post quod matrimonia prohibebantur, ut inter foeminam quinquagenaria majorem, & Virum sexagenario minorem, & contra inter Virum majorem sexagenario, & foeminam minorem 50. annis. Inter has Personas l. Julia & Papia prohibebat matrimonium. Idq; ideo, quia finis generandi in Maribus fere est annus 60. aut ad summum 70. in foeminis 50. *l. 21. ff. de act. em. Arist. lib. 5. d. Generat. anim. c. 14. Wesenb. w. ff. d. Adopt. n. 4. sed Justinianus eam legem sustulit l. 27. C. d. Nupt. l. 12. C. de legitim. hered. Rittersh. ad pr. Inst. d. nupt. & Harpr. eod. loc. n. 10. & 11.* Quanquam non desunt, qui hodie adhuc defectæ ætatis senibus neq; Uxores ducendas, neq; vetulis & annosis mulieribus nubendum esse speciosis rationibus contendunt, de quibus videatur *Cypr. in tract. d. Connub. Jur. Part. 1. c. 9. §. 8.*

XXX. Tertium est Tempus, intra quod secundæ nuptiæ à viduis celebrari absq; poena infamiæ non possunt, sc. annus luctus *l. 1. & 2. C. de secund. nupt. l. 1. 8. & 9. ff. de his qui not. infam. qui olim per 10. menses tantùm durabat d. l. 2. Hinc Ovidius Fastor. 1.*
Tempo-

*Tempora digere, cum Conditor Urbis in anno
Constituit menses quinq; bis esse suo.*

& paulo post

*Per totidem Menses, à funere conjugis Uxor
Sustinet, in vidua tristia signa domo.*

Quod secus est Jure Canonico, secundum quod Vidua absq; infamiae poena iterum nubere intra annum licet potest *c. pen. & ult. extr. d. secund. nupt. Magnif. Dn. Praef. Exerc. Inst. 17. th. 8. lit. d. D. Contr. Rittersh. d. l.* Reliquae tamen poenae, quas Jus Civile intra annum luctus nubentibus imponit, Jure Canon. sublatæ non videntur. *arg. eorum quae habet Gloss. ad d. c. ult. de secund. nupt.*

XXXI. Nunc de justis nuptiis dicamus, quod non ad Tempus sed ad perpetuam vitae consuetudinem contrahendæ sint *§. 1. Inst. de Patr. potest & arg. l. 34. ff. de adopt.* Hinc refert Gellius *lib. 4. c. 3.* quod per annos 530. Romæ nullum fuerit divortium. Nec Cato imitandus qui referente *Strabone lib. 11.* Hortensio Uxorem suam Martiam ad tempus liberorum procreandorum causa volente ejusdem Patre concessit, & novis sponsalibus ipse interfuit. Quod etiam de Socrate traditur. *Dn. Contr. Rittersh. & Hotton. ad pr. Inst. d. nupt.*

XXXII. In omnibus autem legitimis nuptiis Parentum consensus requiritur *pr. Inst. d. Nupt. l. 2. l. 9. l. 16. §. 1. & l. 35. ff. d. R. N.* sed si primò absq; consensu Parentum contractum est matrimonium, postea verò ratihabitione eorum confirmatum, quaeritur, an ab eo demum tempore legitimum fiat, quo accessit ratihabitione, quod affirmandum *pr. Inst. d. nupt. l. 13. §. 6. in f. ff. ad l. Jul. d. adult. l. 68. ff. d. Jure dot. l. 6. C. d. nupt. Magn. Dn. Praefes Exercit. Justin. 2. th. 5. lit. d. Hunn. Variar. resolut. Tract. 3. quest. 19.*

XXXIII. Finis principalis Matrimonii est partus legitimi procreatio *l. 220. §. 3. ff. de V. S. l. 14. §. 1. ff. de Edil. edit. cujus terminus, quando post conceptionem edi debeat, in Jure nostro expressum non est. Ratio hæc esse videtur, quia ut omnes fatentur Physici & Medici, homo non ut cætera animalia, uno certoq; tempore gignitur, sed ratione temperamentum vel nutrimenti, nonnunquam septimo mense, nonnunquam 9. vel 10. foetus in lucem editur.*

editur, *Joh. Gorraus Definit. Med. p. m. 457. Roder. à Castro Med. Pol. lib. 4. quest. 12. Arist. l. 7. de natura animal. c. 4.*

XXXIV. De Partu septimestri tantum in Jure quaeritur an legitimus? Quod Paulus *l. 12. ff. de stat. hom. & Ulpianus l. 3. §. ult. ff. d. suis & legit.* autoritate Hippocratis confirmant. Statuit enim Hippocrates *lib. de septimestr.* septimestres nasci diebus 182. & insuper addita diei particula, cujus sententiae mentionem facit, *Ulpian. d. l. 3. §. ult.* nisi quod particulam diei omittat, qui Dies si ad Menses Graecorum (30. diebus constantes juxta *Cujac. in Paul. lib. 4. sentent. 8. §. 1. & Coras ad l. 12. n. 1. & 9. d. stat. hom.* & qui nostris moribus observantur teste *Mynsingero*) redigantur, septimum tantum mensem 2. diebus attingit ejusmodi Partus. In *libr. vero d. Carn. ait. Septimo mense editus Partus, tres hebdomadam decurias obrinet, & ad unamquamq; decuriam dies concurrunt 70. Tres itaq; hebdomadam decuria in totum dies faciunt 210. Sed dies dicti 182. non contrariantur his 210, sufficit enim septimum mensem attingisse, nec interest an die 2. vel alio ejusdem Mensis editus sit Partus. Arnif. Disp. 2. d. part. human. legitim. termin. th. 21. 26. & 27.* Et haec Hippocratis sententia ab omnibus Philosophis Medicis & Jctis fere recepta, excepto cum paucissimis Paulo Zachia *Quest. Medic. legal. 42 q. 3. n. 7.* qui dissentiunt. Rationes partus septimestris multas adducunt Astrologi & illi, qui ex Crisi & numero causas petunt, quas adducit *Godofr. in not. ad d. l. 12.* & videri possunt apud *Arnif. d. Disp. 2. th. 28. 29. 30. 31.* Vera ratio est, quia eo tempore foetus est perfectus, ut probat Exemplum Sempronii & Corbulonis utriusq; Consulis, quos mater Vestilia septimo mense edidit. *Arnif. d. Disp. 2. Gorraus Defin. Medic. p. m. 457. Duncan. Liddel. d. art. Med. lib. 2. c. 9. Heurn. Instit. Medic. lib. 2. c. 7. Andr. Laur. Histor. anotom. lib. 8. quest. 30. Sennert. Inst. Med. lib. 1. c. 10. Sperling. d. Format. hom. c. 9. quest. 1.*

XXXV. Occurrit nobis de Partu & alia quaestio, sc. an Pater per 10. annos absens filium anniculum pro suo agnoscere possit? quam negative decidit Ulpianus in *l. 6. §. 1 ff. de his qui sui vel alien.* Nec in hoc textu necesse est, ut cum Cujacio pro decennio legamus biennium, aut cum Bachovio in *Comm. ad Tit. πρωτ. Tit. d. Adopt. Rubr. d. lib. legit. & illeg. n. 2.* dicamus; Ulpianum in

in h. l. nimis esse insulsum aut ludos fecisse & jocatum fuisse.

XXXVI. Secundus modus constituendi Patriam potestatem est legitimatio, de qua hic unicam sufficiat tractare quaestionem satis controversam: An sc. fieri possit, per matrimonium in extremo mortis articulo contractum? Affirmaturq; *arg. l. 106. ff. d. Cond. & demonstr. & per ea quae habet Dn. Pras. Exercit. Inst. 2. th. 7. lit. 9. Siebenthal Colleg. Polit. Exercit. 5. quest. 4. Hunnius Variar. resol. Tract. 3. quest. 28.*

XXXVII. Celebrationem Tertii Modi, quò Patria Potestas constituitur, sc. Adoptionis, iis assignamus, qui excedunt adoptatos 18. annis §. 4. *Inst. d. adopt. l. 16. & l. 40. §. 1. ff. eod. Magn. Dn. Pras. Exercit. Inst. 2. th. 9. Wesenb. w. ff. de Adopt. n. 4. Hottom. add. §. 4. h. t. Et majoribus 70. annis. arg. l. 15. ff. de Adopt. Wesenb. d. l.*

XXXVIII. Ad tempus autem fieri adoptio non potest, quia moribus nostris non convenit filium habere temporalem *l. 34. ff. de Adopt. Hottom. d. l.*

XXXIX. De filio adoptati venit quaestio; si conceptus ante adoptionem, natus vero post patris adoptionem, an in ejus, qui patrem adoptavit, potestatem veniat? Quod negandum §. 9. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solvit, arg. l. 14. ff. de adopt. D. Contr. Rittersh. & Hottom. ad d. §. 9.* Ratio est, quoniam in iis, qui ex iustis nascuntur nuptiis, tempus conceptionis spectandum est. *Ulp. in fragment. t. 5. §. ult.*

XL. De Tempore circa Tutelam considerando, aliquid dicere restat, & 1. quidem, quo tempore aetatis quis tutor esse possit, Ubi requiritur ut non sit minor 25. annis; siquidem incivile putavit Imperator, eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire. §. 13. *Inst. de Excus. l. fin. C. de legit. tut.* Adeo, ut excusatione non indigeant Jure hodierno, quod olim secuserat *dd. ll.* Nec major 70. annis, qui quidem dari potest, sed excusationem habet. §. 13. *de Excus. l. un. C. qui etat. se excus.* Ratio hujus est: tum ut ejusmodi aetati parcatur, tum ut consulatur pupillo, cui inutile foret, talem habere tutorem, qui rebus suis ipse vix superesse potest; & hinc non solum à Tutela & Cura, sed & ab aliis muneribus

b u

bus personalibus & civilibus excusatur. l. 3. §. 6. & 12. ff. de Mun.
& hon. l. 2. §. 1. ff. de Vacat. & excus. mun. l. ult. C. q. aetat. vel profess.
se excus. l. 10. C. de Decur. l. 24. §. 1. in ff. ad S. Cr. Trebell.

XLI. Huic propter excusationem similis est multos habens
liberos, qui tempore, quo tutela defertur, superstites sunt. l. 2. §. 2.
& 4 ff. de Excus. l. 2. §. 3. ff. de Vacat. & excus. mun. vel in acie pro
Republ. cecidere, nam & hi in perpetuum per gloriam vivere intel-
liguntur, & ab onere tutelæ, ut superstites eo tempore, quo deter-
tur, excusant pr. Inst. de Excus. l. 18 ff. eod. l. ult. ff. de Vacat. & ex-
cus. mun. Hinc Cicero in Plancianâ: *Qui pro Republ. vitam reddi-
derunt, nunquam me hercule eos mortem potius, quam immortalita-
tem assecutos putavi.* Et Philipp. 9. *His majores nostri, qui ob Remp.
mortem obierant, pro brevi vita diurnam memoriam reddiderunt.*
Montan. de Jur. Tutel. c. 35. n. 60. Gell. Noct. Attic. lib. 2. c. 15. Hot-
tom. ad pr. Inst. de Excus. Et is qui Reipubl. causa abfuit per anni
continui spatium (quo gaudet reversus à tempore, quo rediit,
vel redire debuit) habet excusationem §. 2. Inst. de Excus. l. 10. pr.
& §. 1. l. pen. ff. eod. l. ult. C. si Tut. vel curat. Reip. causa abf. Mont. d.
Jur. Tutel. c. 35. n. 91. cum seqq.

XLII. Qui omnes, si Excusationibus suis uti volunt, pro-
ponere eas debent à tempore quo cognorunt se tutores. l. 1. §. 1.
ff. de Administ. vel si sub conditione aut die constituti, à condi-
tione vel die veniente l. 16. l. pen. ff. de Excus. si præsentis vel intra
100. lapidum, intra quinquaginta dies continuos, non utiles §. 16.
Inst. d. Excus. l. 13. §. 2. & 9. ff. eod. si vero ultra centesimum lapi-
dem habitent, 2000. passuum ipsis per singulos dies attribuuntur,
in super additis 30. diebus ad recreationem, intra quod tempus
legitime excusationem instituere possunt dd. ll. hac tamen li-
mitatione, ut si itineris nomine, viginti dies non impendant, qui
restant ex 50. semper indulgeantur, & nunquam minus 50. die-
rum spatio ipsisq; concedatur. §. 16. Inst. & l. 13. §. 2. ff. de Excus. Nam
absurdum esset, melioris conditionis esse eum, qui propius ab Ur-
be abest, quam qui longius. Illud non interest, utrum tutores
excusationes suas per simplicem allegationem, an per appellatio-
nem proposuerint. d. §. 16. de excus. l. 13. ff. eod. t. Tima. Fab. Disp. ad
Inst. 10. th. 14. Dn. Ungep. Exerc. 4. q. 15.

Tuto-

XLIII. Tutores legitime constituti in potestate sua habent impuberes, masculos quidem ad 14. foeminas ad annum usq; duos decimum completum, Jure hodierno. Nam olim foemina, in perpetua erat tutela *Ulp. in fragm. t. 11. Dn. Contr. Rittersh. & Hottom. ad pr. Inst. de Tutel. Adde Cont. lib. 2. lect. 13. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 3. C. quand. tut. vel cur. esse desin.*

XLIV. Nam Curatores adolescentes in cura retinent usq; ad vigesimum quintum aetatis annum *pr. Inst. de Curat. l. 1. §. ult. l. 3. §. 3. ff. de Minor. quæ aetas dicitur legitima, à lege Lætoria, quod ex lege Lætoria, in id usq; tempus minores, causa cognita, curatorum auxilio regerentur; quam legem Plautus quoq; vocat; quinam vicenariam. Vide Brisson. de V. S. lib. 10. Dn. Contr. Rittersh. & Hottom. ad pr. Inst. de Curat. Gothof. in not. ad l. 1. §. 3. ff. de minor.*

XLV. Tempus adeundi Tutelam Testamentariam, si Tutor pure datus, statim venit, ab adita hereditate *l. 7. ff. de Testam. tut. sub conditione autem vel ex certo tempore; conditione vel Tempore existente; nam à certo tempore ad certum tempus dari tutor potest l. 8. ff. de Testam. tutel. Montan. de Jur. Tutel. c. 10. n. 12. Mater verò legitimam tutelam, inter quatuor menses assumere debet, per ea quæ habet Mont. de Jur. Tutel. c. 15. n. 48. cum seq.*

XLVI. Hæc cum nonnunquam vel propter secunda vota. *Nov. 49. c. 2. vel alias causas, esse non possit Tutrix, confestim filio petere debet tutorem l. 2. §. 23. ff. ad Scb. Tertul. quod Justinianus interpretatur, intra annum §. 6. Inst. eod. Mont. de Jur. Tut. c. 18. n. 1. & seq. Dn. Contr. Rittersh. ad d. pr. Cur autem tempus legibus anni definitum, causa esse videtur annus luctus, ne mortuo marito, liberi à complexu matrum, statim avellerentur, sed interim liberorum haberent custodiam, essentq; illis in solatium, quamdiu in domo vidua, tristitiâ signa, sustinebant. Inde q; Horatius fortasse debet intelligi lib. 1. Epist. 1.*

— *Ut piger annus*

Pupillis, quos dura premit custodia matrum

Duram dicit Horatius matrum custodiam, quæ non alias dura est, nisi quamdiu matres erant in luctu lugubria sumebant *l. 8. ff. de his*

C

his qui not. inf. à conviviis ornamentis, purpura & aliis abstinebant *Paul. lib. 1. Sent. tit. 23.* quare mirum non est, si per illud tempus, pupillis dura matrum custodia videretur; pigerq; esset annus iste luctus, quo finito ad tutores ire deberent. *Vide plura apud Merrillium Observ. l. 1. c. 22.* Hic observandum quod omni tempore & die, etiam feriata dari possint Tutores *l. 8. §. 2. de Tut. vel Curat. dat. l. 2. ff. de Feriis.*

XLVII. Datum tutorem vel curatorem si suspectus fuerit, etiam ante administrationem removeri posse, attestatur §. 5. *Inst. d. susp. Tut. & l. 4. §. f. ff. eod.* Nam ex antè acta vita conjici facile potest, qualis quisq; tuturus sit imposterum, & præstat pupillo, ab initio rem salvam conservare, quam post vulnus remedium, quærere *arg. l. ult. C. in quib. causis in integ. rest. adde Magn. Dn. Præsid. Exercit. Justin. 3. th. ult. lit. b. Dn. Contr. Rittersh. & Hottom. add. §. 5. & Portium eod. loc. n. 10.*

XLVIII. Sed suspectos pupilli vel minores 14. aut 12. annis accusare non possunt §. 4. *Inst. de susp. Tutor. & l. 6. C. eod.* Adolentes autem Curatores suos ex cõsiliis necessariorum arguere non prohibentur. *d. §. 4.*

XLIX. Finita tutela omnis tutor rationes administrationis reddere, *l. 1. pr. & §. 3. ff. de Tut. & rat. distr. & quicquid ex rebus pupillaribus super est, restituere tenetur l. 9. C. arbit. tut.* An autem cogi possit, ut hoc etiam ante rationes redditas faciat inter Jctos controversum? Multi sunt qui affirmant inter quos Socius & Petrus Benitendus. Alii negant quorum opinionem, tanquam veriore cum *Magnif. Dn. Præf. Exerc. Justin. 14. th. 6. lit. b. Fachin. §. controu. 58. sequor.*

L. Qui per aliquod tempus ab hostibus in captivitate detentus in civitatem revertitur, omnia jura pristina & libertatem, atq; tutelam jure Postliminii recipit §. 5. *Inst. quib. mod. Ius patr. potest. solvitur. §. 17. Inst. de rer. div. l. 6. §. ult. ff. de Tut. l. 32. §. 1. ff. d. Hered. Inst.* Quod si tutor ab hostib. captus non sit, sed missus ad eos quasi Legatus, aut receptus ab eis, aut transfugerit: Jure postliminii non indiget, sed ipso jure tutor manet, *l. 15. ff. de tu-*

tel.

tel. & l. 19. §. 4. ff. de captiv. & postlin. revers. Dn. Ungep.
Exerc. 4. q. 9. Adde Donell. lib. 3. comm. c. 14. ibiq. Hilliger. lit. F.
Verum ego pedem hic figo & hac materia temporis aliquan-
diu detentus, Jure quasi postliminii ad li-
beriora studia me re-
cipio.

F I N I S.



Egregiè & benè Jus ostendens temporis, Erndel,
Temporis effectus sic mage comperies:
Temporibus modo sis servus fac porro, brabea
Auxiliante DEO pulchra sat accipies.

ἀναστυφῆ
Accipies sat pulchra DEO auxiliante brabea,
Porro fac servus sis modo temporibus.

Comperies mage sic effectus temporis, Erndel,
Temporis ostendens jus benè & egregiè

Dn. Autori & Respondenti A-
mico & conterraneo suo colendo
gratulabundus posuit

CHRISTIANUS ALBHART



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section.

Faint, illegible text in the middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower section.

Da Antonio & Respondens A.
nico & conueniens in colendo
gestandibus possit


CHRISTIANUS ALBERT




Alsdorf, Diss. 7/1656/67

Cx 261 3006)

V077





OVA JUVANTE
TATIONEM HANC

D. ε
**ORE LEGI-
TIMO**

CIRCA
is Objectum considerato
ESIDE VIRO

*Cobilissimo Amplissimo &
Consultissimo*

ELMO LUDWELL

EBERRIMO ET ANTE-

**IN HAC ACADEMIA
PRIMARIO**

incipis Palatini & Reipubl.

ae Consiliario gravissimo

ceptore Suo atatem venerando

ditorum Censura submittit

TIANUS Erndl.

DRESD.

m Mensis Junij

ALTDORPHI

R. M. DC LVIII

ORGI HAGEN, Universitatis

Typographi.

2

18

1658

4